

Habitat in Abiete & Pinu passim.

Obs. Adfui, cum in Vacui Torricelliani fundo positus, & incubentem sibi aeris columnam, & insignem praeterea Mercurii massam fine noxa simul sustinuit, nisi quod initio, cum iterum exemptus esset, mortui instar visus sit; vires tamen mox recuperavit plane priores.

259. **BIFASCIATUS**, Doppelgürtliger Bockkäfer.

Cerambyx thorace spinoso; e fusco niger; elytro singulo lineis tribus elevatis, maculis duabus luteis. *Geoffr. paris. part. I.* p. 222. *sp. I.* sub Stenocoro.

Cerambyx inquisitor β . *Lin. faun. suec. n. 659.*

Pod. mus. graec. p. 33.

<i>Mensurae. Longit a cap. adan.</i>	8	lin. fere.
elytri	6	—
Latitudo insecti	2 $\frac{1}{2}$	—

Descr. Niger, sed infinita punctorum canorum multitudine insectum plane canum evadit. Utrique elytro communis est fascia duplex ferruginea, spatio inter utramque interjecto nigro. Lineae in singulo elytro elevatae tres.

Schol. In hac & sequenti specie, uti & Cerambyce meridiano aliisque, lineas elevatas rectius usurpes pro charactere specifico, quam pectinum dentes in Scorpionibus, radiorumve in pinnis piscium numerum.

260. **SYCOPHANTA**, Betrüglicher Bockkäfer.

Cerambyx thorace spinoso, nigro ferrugineoque varius, fasciis elytrorum tribus obscurioribus, lineis in singulo elytro elevatis duabus; antennis brevibus.

<i>Mensurae. Longit. thoracis</i>	$1\frac{2}{3}$	lin.
elytri	$6\frac{1}{2}$	—
antennae	$3\frac{2}{3}$	—
<i>Latitudo thoracis</i>	$1\frac{2}{3}$	—
elytrorum	3	—

Desc. Haec duabus praecedentibus speciebus plane habitu simillima; fors etiam incola haec & prior arborum abieti congenerum; color praedominans ferrugineus est, & hic totus ex concolori tomento ortus; oculi punctaque elytrorum nigra; puncta elytrorum tres constituunt praecipue fascias nigras, in quibus tomentum ferrugineum rarius est, quarum ea, quae in medio est, latior, nigrior. Omnis nigredo ex corporis glabritie. Lineae in singulo elytro elevatae duae.

Habitat Viennae.

261. **PEDESTRIS**, Weisgestreifter Bockkäfer.

Cerambyx pedestris, thorace spinoso, apterus niger; elytris tomentosis atris: futura alba; antennis mediocribus. *Lin. S. N. gen. 204. sp. 51.*

Cerambyx pedestris. *Pod. mus. graec. p. 34.*

Cerambyx arenarius. *Scop. carn. n. 168.*

<i>Mensurae. Longit. a cap. ad an.</i>	$6\frac{1}{3}$	lin.
elytri	$4\frac{1}{2}$	—
antennae	4	—
Latitudo insecti	$2\frac{1}{2}$	—

Descr. Niger, nitidus, apterus; primus antennarum articulus pedesque rubro-testacei nitidi; stria longitudinalis alba per medium thoracis, & elytrorum quorum futurae communis est, decurrit. Deficit tamen subinde in thorace.

Habitat in hortis Viennensis, & agri contermini, minime rarus, ad muros, ab exortu Maji per totam